

# EPISTULA LEONINA

## CCVI

HEBDOMADALE  
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
QUOD ĒDITUR  
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI  
CUI NOMEN EST  
**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS G R A T I S ET S I N E ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-CCV INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM  
**DUCENTESIMAM SEXTAM (206) !**

## ARGUMENTA

GLORIA IN EXCELSIS DEO.....	03
UTRUM NATALE DOMINI CELEBRANDUM EST MORE TRADITO NECNE?.....	04-09
DE ABIETE <i>Fabella Iohannis Christiani ANDERSEN</i> .....	10-22
NATALICIA ARBOR POLYGLOTTA ( <i>Herbert Douteil</i> ).....	23-25
VOTA NATALICIA LECTORIBUS OBLATA.....	30

## LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS AMANTIBUS SAL.PL.DIC.

### ***Cara Lectrix, Care Lector,***


*post pausam Epistulas Leoninas êdendi longiusculam brevi ante Natale Domini tibi offero ducentesimam sextam (206). Utinam inter dies festos tibi sit occasiuncula has natalicias pagellas Latine scriptas perlustrandi. Sive argumenta tibi placent sive displicent, scribas nobis quidquid tibi in buccam venerit. Gratias tibi ago in antecessum.*

*Sed nunc cena tibi apposita est opipara: tolle lege fruere!*

Medullitus Te salutat

Nicolaus Groß

Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS**

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,**

**Die Lunae, 23. m.Dec., a.2019**



# **GLORIA IN EXCELSIS DEO ET IN TERRA PAX HOMINIBUS BONAE VOLUNTATIS**

EVANGELIUM SECUNDUM LUCAM 2,14

*Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis.*

Δόξα Σοι τῷ δείξαντι τὸ φῶς. Δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ καὶ ἐπὶ γῆς  
εἰρήνη ἐν ἀνθρώποις εὐδοκίας.

## UTRUM NATALE DOMINI CELEBRANDUM EST MORE TRADITO NECNE?



<https://www.jetzt.de/familie/pro-und-contra-traditionelle-weihnachten>

***Mercedes Lauenstein et Lara Thiede de hac  
quaestione graviter inter se dissentiunt***

***Tempus adventuale et natalicium plenum est  
parvis ritibus magnisque moribus traditis. De  
iisdem autem quotannis alii aliter sentiunt: Alii  
turbam festi natalicii oderunt, alii nullâ re magis  
fruuntur quam eâ. En lege quid sentiant Mercedes  
et Lara de Natali Domini celebrandâ: quae mulieres  
graviter inter se dissentiunt.***



## **MERCEDES sibi exoptat**

### **Natale Domini maximê translaticium:**

Hôc tempore saepe sto ante specularia (*Schaufenster*) magnarum tabernarum Monacensium, in quibus veneunt cibi delicatissimi. Clam enim animus meus inflammatur horum specularium decoramentis. Quae constant ex variis mensis nataliciis uberrimê atque sollemnissimê decoratis. Haec aspectans cogito: „HAEC EGO QUOQUE VOLO HABERE!“. At scilicet haec non ausim alicui narrare, ne aspiciar contemptim.

TU, Mercedes? Quae ipsa se habet pro muliere liberalissimâ religionem negligente? Tune vis res TALES?

Vehementer percrebruit Natale Domini odisse. Nôvi multos homines, qui quotannis denuo contendunt animo aequissimo se nunc tandem reverâ abstenturos esse ab omni more Natale Domini celebrandi. Iidem: ‘Vale, o Natale Domini’, inquit, ‘o festum artis ineptulae (*Kitsch*) hypocriticum, o catalytrum sollicitudinis intentissimae (*Stresskatalysator*) terrorisque consumptorii, o colluvies malorum socialium omnium!

Equidem non assentior istis hominibus! Equidem ex animo volo celebrare Natale Domini more verê abderitano (*spießig*) omni anno iterandum, quo clam suavissimê delector.

At doleo quod non possum Natale Domini celebrare hôc modo. Ultimo Natale Domini sic celebravi aetate novem annorum, aut octo – non iam certo scio, quando familia nostra magna et exemplaris coeperit dilabi. Ex illo tempore multa acciderunt, sed nihil praedicibile. Nam ex viginti annis familia mea eo tantum constans manet, quod Natale Domini omni anno celebrat omnino aliter, variis locis, unâ cum variis hominibus.

Babae, scitê facitis! Sic nunc dicunt multi. Si ratione hanc rem considero, istis assentior. Scilicet excellenter posse gloriari homines de modo vivendi libero atque circumvago.

At doleo animae meae inesse parvulam puellam sex annorum, quae nihil magis desideret quam illum vesperum diei vicesimi secundi mensis Decembris, quo crustulis saburrata delapsa sum in pulvinum plumosum conclavis parvulorum, expedivi casetophonum (*Kassettenrecorder*) flavo-caeruleo-rubrum, cui imposita erat caseta „parvi viri aquarii“ (*„Der Kleine Wassermann“*), et obdormivi certo sciens cras horâ decimâ Mammam atque Attam (ambos, et VEROS, non vitricum et novercam aut similes homines) ad ianuam constituros esse meque adhortaturos esse, ut conclave medianum aspiratro (*Staubsauger*) purgarem. Ut fascem crustulis plenum more annuo apportarem familiae vicinae *Dubberkeorum* Et ut postea unâ cum fratre meo e praedio veteris *Iohannis Gansii* nobiscum auferrem anserem natalicium recenter mactatum.

Sicut omni anno!

Oh, „sicut omni anno“!

Haec verba quam dulciter resonant in auribus meis!

In mensâ meâ scriptoriâ nunc positus est liber, qui inscribitur „Per tres dies pondus corporis exauctum septem chiliogrammis: Diebus nataliciis domi fui“. Hic liber sic annuntiatur in actis diurnis: „Sebastianus dies natalicios degit apud parentes suos, domi in oppidulo, in loco suetae tristitiae, memoriae iuventutis, cervesiae optimae huius planetae. Omnia se habent ita ut omni anno: (...).“

At ego Sebastiano invideo. Si quando mihi erit familia propria, constituam proprium modum Natalis Domini celebrandi. Bene sciam, sed nullo modo curabo, hic modus celebrandi quam conservativus sit et abderitanus (*spießig*) et hypocriticus (*verlogen*).

Oportebit ut sic celebrem Natale Domini. Necnon (*und sogar*) perseverabo in hōc modo celebrando. Usque ad finem vitae meae. Sine ullo respectu detrimentorum!

**LARA exoptat,**

**ut tandem sibi liceat Natale Domini celebrare**

**„more alio“:**

Fortasse sum cattus adustus (*ein gebranntes Kind*), cum dico: Nolo omni anno Natale Domini celebrare eodem modo. Causa meae nolentiae non solum in eo est, quod Natali Domini celebrando, sicut nunc fit, donis cibisque emendis praeparandisque multiplicibus efficitur maxima perturbatio atque inquietudo. Equidem etiam vexor vehementer istam retentione pertinacissimam morum traditorum, quos dimidia minimum pars familiae non iam satis comprobatur.

Ut exemplum afferam: morem traditum pertinaciter retinemus eo quod Natali Domini ire solemus in ecclesiam. Scilicet Natale Domini esse festum christianum. At is homo, qui per totum annum reliquum nullo momento temporis ullo modo cogitat de rebus religiosis, sed deinde die vicesimo quarto mensis Decembris Sermonem Dominicum (*Vaterunser*) et Confessionem Fidei et cetera quaecumque sunt, orat voce flebili, mihi quidem, ut verum confitear, videtur esse hypocrita (*Heuchler*). Mihi quidem semper iniucundum est Sanctam Noctem pati oculos parochi vicani (*Dorfpfarrer*) quaeritantes. Is enim ne suspicatur quidem, quisnam ego sim. Necnon in omni cantico omnique precatione mihi deliberandum est, utrum ipsa orem et cantem unam cum ceteris necne. Utrum fiam homo peior an melior, si abstineo a cantando et orando.

In familiam meam diebus nataliciis etiam extra ecclesiam omnia fiunt secundum praeceptum quod est „quiete et contemplative“. Lumina electrica mitigantur (*gedimmt*), audimus modos musicos adventuales, ante cenam iterum oramus. Deinde dona evolvuntur, crustula comeduntur. Versus horam nonam et dimidiam vespertinam omnes incidunt in somnolentiam voratoriam (*Fresskoma*). Licet videatur stultum hoc dicere: Equidem invideo familiis, quae Sanctam Noctem potant et comissantur et pergraecantur (*so richtig die Sau rauslassen*).

Etiam plus invideo iis familiis, in quibus denique omni homini sine rogatione licet proficisci, ut celebret cum amicis.

Equidem – saltem semel, ut rem experiamur – maximè velim omnia mutare: locum, cibos, etiam homines invitandos. Ex viginti tribus annis tota familia magna in domo parentum meorum congregatur, Sanctâ Nocte praebentur botelli et acetaria poma terrestria (*Würstchen und Kartoffelsalat*), die sequente anser natalicius cum brassicâ caeruleâ globulisque (*mit Blaukraut und Knödeln*). Altero demum die natalicio licebit itinera facere in mundum externum, tum fient etiam res aliae. Mihi placeret aliquid variationis. Fortasse fieri potest, ut paululum minus urgeremur ad mensam, ut plus restet temporis nobis ad vera colloquia habenda. Malim comedere caseum intinctorium vel carunculas intinctorias (*Fondue*) aut pittam (*Pizza*); mensa secunda velim sit bellarium Venetum (*Tiramisu*). Aut aliquid etiam insolentius: comedamus extra domum, immo, fortasse in aliâ urbe, quid dicam, in aliâ terrâ. Quidni experiamur eventum omnino alium et tamen eundem appellemus “Natale Domini”? Num mihi licet sperare hoc somnium meum umquam posse ad veritatem adduci?

Una saltem res hîc Natali Domini erit alia: Hîc quidem anno agricola malum nuntium iam attulit amatoribus morum traditorum, qui insunt familiae nostrae: se dolere, quod non iam haberet anserem nobis vendendum. Qui nuntius mihi est iucundus. Die natalicio primo nobis dabitur oryza more laponico parata (*sushi*). Haec mihi supersapit! Utinam mox sequantur aliae mutationes modi, quo nos celebramus Natale Domini...



## QUAESTIUNCULAE TRACTANDAE

1. Hôc tempore Mercedes saepe stat ante specularia quarundam tabernarum Monacensium. Quare ibi stat?
2. Narratne Mercedes apertê aliis hominibus se Natale Domini celebrare velle more tradito?
3. Estne Mercedes valdê religiosa?
4. Quare Mercedes non potest Natale Domini celebrare more solito?
5. Quid Mercedi videtur de modo vivendi libero atque circumvago?
6. Quas res natalicias Mercedes aetate puellari maximê dilexit?
7. Quid sperat Mercedes?
8. Quatenus Lara in rebus nataliciis est 'cattus adustus'?
9. Quibus de causis Larae displicet cum familiâ suâ ecclesiam inire tempore natalicio ?
10. Quatenus Lara vituperat morem, quo familia sua cenam sumere solet nataliciam?
11. Quos cibos familia Larae cenat vespere sancto, quos primo die natalicio?
12. Quos cibos Lara praeferret Natali Domini comedendos?
13. Hôc anno una res in festo familiae Larae erit alia ac annis prioribus. Quae res haec est?



**EN ASPICE HOC MAMMA ET ATTA TIBI PINXERUNT !**

## DE ABIETE

Fabella Iohannis Christiani ANDERSEN



Aliquando foris in silvâ stetit parva abies nitida; quae cum haberet locum bonum, accipiebat lucem solis, satis aëris, circumcirca crescebant sodales multo maiores et abietes et piceae. At parvae abieti nil maioris momenti videbatur esse quam crescere; quae arbuscula neque respiciebat solem calidum neque aërem recentem, neque eadem curabat parvulos rurales, qui ambulabant atque garriebant e domibus egressi, ut colligerent fraga atque roba idaea. Parvuli saepe adveniebant cum totâ ollâ completâ aut fraga infixerant culmo stramenticio, deinde iuxta abietem considentes: »En abietem« inquiunt »quam nitidê parvam!« At arbuscula hoc omnino nolebat audire.

Anno sequente abies longo apice longior fuit, anno secundo a proximo altero quoque apice fuit longior, nam in abietibus semper ex partibus denuo additis apparet, per quot annos iam creverint. Parva autem abietula gemens: »Eheu me miseram!« inquit »utinam tanta essem quantae sunt aliae! Si talis essem, ramos meos possem circumcirca

latê pandere et culmine meo in mundum prospicere! Aves nidos suos aedificarent inter ramos meos, et si ventus flaret, tam ingenuê possem caput nutare quam illae arbores ibi sitae!«

Neque delectata est abietula splendore solis neque avibus neque nubibus rubris, quae mâne atque vespere super eam volitabant. Quando erat hiems et nix circumcirca iacebat candidissima, saepe lepus accurrens super ipsam arbusculam saliebat. Oh, quam odiosum istud erat! At duabus hiemibus transactis tertiâ hieme arbor tanta fuit, ut lepus non posset, quin circa eam curreret. Tum eadem arbor cogitavit: »O crescere, crescere, grandescere et adolescere, hoc quidem in mundo est unicê pulchrum!«. Omni autumno veniebant lignarii nonnullas ex arboribus maximis decisuri; hoc fiebat quotannis, et abies iuvenis, quae interim bene adoleverat, nunc illis aspiciendis horrebat; nam arbores illae magnae et magnificae cum fragore atque crepitu humum decidebant, rami illarum desecabantur, ut arbores apectu essent nudae, longae, angustae; quae paene non iam recognoscebantur. At deinde eaedem curribus impositae sunt et ab equis e silvâ abstractae. Quonam illas abstrahi? Quidnam illis factum iri? Vernali autem tempore, cum hirundines et ciconiae advenirent, ab arbore rogatae sunt: »Nonne scitis, quo illae ductae sint? Nonne in illas incidistis?« Hirundines nihil sciverunt, sed ciconia cogitabunda caput nutans: »Videor« inquit »in illas incidisse; nam ex Aegypto volans incidi in multas naves novas; navibus autem infuerunt mâli magnifici; licet eos mâlos fuisse illas arbores, nam odore fuerunt abietino; a quibus iussa sum salutare, iidem sunt formosi atque superbi!«

Tum abietula: »O« inquit »utinam tanta essem, ut trans mare possem navigare! Quidnam est illud mare, et quali est aspectu?« Ciconia autem respondit: »Longum est hoc explicare!« et abiit. Radii autem solis dixerunt: »Gaude iuventute tuâ! Gaude crescentiâ tuâ recenti, vitâ iuvenili, quae tibi inest!«

Ventus autem arbusculam osculatus est et ros eidem illacrimavit, sed hoc abietula non intellexit.



Tempore natalicio adveniente decêdebantur arbores perquam iuveniles, arbores, quae saepe ne tantâ magnitudine tantâve aetate fuerunt quantâ fuit haec abies, quae neque quieta erat neque pigra, sed semper cupida erat proficiscendi; illae arbores iuveniles, quae erant omnium formosissimae, semper retinebant omnes ramos suos; quae curribus imponebantur et ab equis ex silvâ trahebantur. Tum abies quaesivit: »Quonam istae auferuntur? Quae non sunt maiores quam ego, immo nonnullae sunt me multo minores; quâ de causâ illae retinent ramos suos? Quo vehuntur?«

Tum misingae friguttiverunt: »Hoc scimus! Hoc scimus! Infra in urbe fenestras inspeximus! Nos scimus, quo illae vehantur! O illae maximam assequuntur pulchritudinem atque magnificentiam, quae animo potest fingi! Nos fenestras inspicientes vidimus illas medio in conclavi mediano statutas decorari rebus decorissimis, mâlis auratis,



libis mellitis, crepundiis, necnon aliquot centum candelis lucidissimis».



Tum abies ramis omnibus trementibus: »Quidnam« inquit »deinde fiet?« Misingae autem responderunt : »Plura non vidimus. Sed fuerunt pulcherrima maximêque mirabilia!« Tum abies iubilans: »O« inquit »nonne genita sum eo fine, ut ingrediar hanc viam fulgentissimam? Hoc etiam melius est quam trans mare navigare! Quanto desiderio vexor! Utinam nunc esset Natale Domini! Nunc tam alta sum tamque adulta quam aliae, quae abductae sunt anno proximo praeterito! O utinam iam essem in curru, utinam essem in conclavi calido tam decoro tamque magnifico! – Et deinde? Deinde certê veniet aliquid etiam melius, etiam pulchrius, nam alioquin cur me decorarent tam abundanter? Necessario aliquid veniet etiam maius, etiam magis magnificentum! At quid veniet? O quam patior, quam vehementer desidero, ipse nescio, quomodo me habeam!«

Tum aer et lux solis dixerunt: »Gaude de nobis! Gaude de iuventute tuâ recenti, quâ fruaris sub dio!« At abies nequaquam gavisus est; crescebat et crescebat, hieme atque aestate in silvâ stetit et homines, qui eam aspiciebant, dicebant: »En aspice arborem hanc pulcherrimam!« et tempore natalicio eadem decisa est omnium prima. Ascîâ percussa est medulla eius intima; arbor gemens humum decidit, doluit, non iam compos fuit sui, nequaquam cogitavit de aliquâ re felici, nam tristis fuit, quod sibi e regione patriâ erat abeundum, e loco, quo e terrâ raptim creverat; nam scivit se numquam revisuram esse caros sodales veteres, parvos frutices floresque circumcirca natos, immo fortasse ne aves quidem.

Nequaquam abieti iucundum fuit proficisci. Arbor autem eo demum tempore resipuit, quo in aulâ unâ cum aliis arboribus e curru delata audivit quendam virum dicentem: »Haec quidem est magnifica! Nullam volumus nisi eam !« Nunc venerunt duo famuli veste ornatâ induti et abietem portaverunt in magnum oecum pulchrum. Circumcirca e parietibus pendebant imagines et prope magnam fornacem fictilem stabant magna vasa sinica, quorum operculis impicti erant leones; ibi erant sellae oscillares, stibadia sericea, magnae mensae, quae obiectae erant libris picturatis et crepundiis, quae constiterant centies centenis thaleris; hoc saltem parvuli contendebant. Abies imposita erat magno dolio harenâ completo, sed nemo vidit idem esse dolium, nam idem erat magno tapeti versicolori impositum et circa dolium pendebant ornamenta viridia. Oh, arbor quantum tremebat! Quidnam nunc factum iri?

Et famuli et famulae arborem ornaverunt. E ramis pependerunt reticula e chartâ versicolori exsecta, et omne reticulum completum erat crustulis. Mâla aurata et iuglandes dependebant, quasi crescendo esset affixae, et plus centum parvae candelae rubrae, caeruleae, candidae ramis sunt infixae. Pupulae, quae hominibus erant perquam similes – quales prius arbor numquam viderat – inter ramos virides volitabant, et apici altissimo affixa erat stella bracteolis confecta. Haec fuere magnifica, perquam magnifica! Omnes autem: »Hodie vespere« inquiunt »hodie vespere arbor fulgebit!« gaudio effusi. Tum arbor: »O« inquit, »utinam esset vesper! Utinam mox candelae accenderentur! Quidnam postea fiet? Nonne arbores e silvâ venient me visum? Nonne misingae volitabunt in fenestrae quadram vitream? Nonne huic loco accrescam et hieme atque aestate stabo ornata?«

Ita vero, arbor res bene perspexit; sed eius cortex desiderio vehementer doluit, et dolores corticis arbori haud minus mali sunt quam nobis aliis dolores capitis.

Nunc candelae sunt accensae. Quantum splendoris, quantum magnificentiae! Arbor autem omnibus ramis tam vehementer tremuit, ut quâdam candelâ accenderentur acûs rami cuiusdam virides; quae fortiter adustae sunt. Tum famulae clamaverunt: »Deus nos servet!« et properê extinxerunt ramum ardentem. Nunc arbori ne tremere quidem licuit. Oh, hoc fuit terribile! Arbor enim timuit, ne quid amitteret sui



decoris; perquam sopita erat tanto fulgore. Tum apertae sunt binae fores valvatae, et multitudo parvulorum tam vehementer insiluit, quasi vellent invertere totam arborem, homines adulti lentius sunt secuti; parvuli autem steterunt taciti, sed momento tantum temporis, deinde iterum tam vehementer iubilaverunt, ut eorum voces oecum resonarent; qui circa arborem saltaverunt, et unum donum post aliud decerptum est distributum. Arbor autem cogitavit: »Quid illi faciunt? Quidnam nunc fiet?«.



Candelae modo deardebant usque ad ramos et quaecumque dearserat, exstinguebatur, et deinde parvulis permissum est, ut arborem diriperent. Qui in eam tam vehementer prosiluerunt, ut omnes rami creparent; arbor nisi apice et stellâ aureâ lacunari esset affixa, decidisset. Parvuli autem cum crepundiis suis magnificis circumsaltabant, nemo arborem aspexit nisi gerula vetula, quae ramos inspexit; at hoc fecit eo tantum fine, ut videret, num quid fici mâlive negligenter esset relictum.

Nunc parvuli »Narra fabellam, fabellam!« clamantes parvum virum crassum versus arborem traxerunt îdemque consedit sub eâ ipsâ. Vir

autem: »Hîc sedeamus« inquit, »ut simus inter ramos virides; nec non ipsi arbori usui erit audire fabellam! At unam tantum narrabo fabellam. Vultisne audire hanc, quae est de Ivedeo-Avedeo an illam, quae spectat ad Clumpeum-Dumpeum, qui quamvis per scalas decideret, tamen locum altiorem assecutus accepit principissam?« Tum alii clamaverunt »Ivedeum-Avedeum!«, alii »Clumpeum-Dumpeum!« Ohe quanta fuit vociferatio! Nemo nisi abies tacita cogitavit: ,Quidnam fiet de me? Num mihi in hac re prorsus nihil erit agendum?"



At abies debita iam praestiterat. Ille vir narravit de Clumpeo-Dumpeo, qui decidebat scalas, sed tamen honore attributo accepit principissam. Parvuli autem applaudentes vocaverunt: »Narra, narra!« Qui voluerunt etiam audire fabellam Ivedei-Ivedei, sed nihil acceperunt nisi fabellam Clumpei-Dumpei. Abies autem stabat prorsus muta et cogitabunda, nam talia numquam ei narraverant aves silvestres.

Clumpeum-Dumpeum per scalas decidisse, sed tamen accepisse principissam! Talem, talem esse vitam in mundo agendam! Sic abies cogitavit credens fabellam esse veram, quia narrata esset a viro tam affabili. »Mirabile! Fortasse ego quoque per scalas delapsa accipiam principissam!« Itaque abies gavisa est exspectans se postridie iterum ornatum iri candelis crepundiisque, auro et fructibus necnon stellâ illâ bracteolis confectâ. Tum arbor cogitavit: »Cras quidem non tremam! Cras gaudebo de totâ meâ magnificentiâ. Cras iterum fabellam audiam Clumpei-Dumpei necnon fortasse illam Ivedei-Avedei«.



Itaque arbor per totam noctem stetit tranquilla atque cogitabunda.

Postridie mâne famuli et gerula intraverunt. Tum arbor cogitavit: »Nunc denuo decorabor!«; at ex conclavi tracta est, sursum per scalas ad granarium, et posita est in angulo obscuro, in quem nullus radius illucebat solaris. Tum arbor cogitavit: »Quid hoc sibi vult? Quidnam isto loco faciam? Quidnam hîc audiam?« Arbor muro opposita



cogitabat nec cogitare desinebat. Satis autem temporis ei erat, nam transacti sunt dies noctesque; nemo ascendit ad granarium, et cum tandem aliquis advenisset, hoc fecerat eo tantum fine, ut in angulo deponeret nonnullas cistas magnas; sed arbor tam remota erat, ut omnes homines viderentur eandem oblîti esse.



Arbor cogitavit: »Nunc foris est hiems! Humus est dura et nive oblecta, homines me non possunt implantare; itaque hîc me deposuerunt usque ad tempus vernale servandam! Quam sapienter hoc decreverunt! Quam boni sunt homines! Utinam ne hîc essent tantae tenebrae tantaque solitudo! Ne lepusculus quidem adest! Ah quam bellulus illo tempore fuit locus meus silvestris, quo nix humi iacebat et lepus praetersiliebat, etiamsi me transiliebat; sed illo tempore locus silvestris mihi displicuit. Tamen hîc supra quam horribilis mihi est solitudo !«

Tum subito mintrivit musculus prosiliens; et deinde vênit musculus alter. Qui abietem nictulando perquisiverunt, et deinde eius ramis illapsi sunt. Musculi: »Frigemus« inquiunt, »formidulosê! Praeter id iucundum est hîc versari; nonne ita est, abies vetula?« Abies autem: »Nequaquam« inquit, »vetus sum; sunt multae, quae me multo sunt veteriores!« Tum mures interrogaverunt: »Unde venisti? Et quid novisti?« Qui fuerunt curiosissimi. »Fac narres nobis de locis pulcherrimis omnium qui sunt in orbe terrarum! Fuistine ibi? Fuistine in cellâ penariâ, in quâ caseus tabulis impositus est et pernae e lacunari pendent, in quâ mures saltant super candelis sebaceis, quam intrant macri, relinquunt pinguissimi?«

Tum arbor respondit: »Illam cellam ignoro; sed nôvi silvam, ubi sol splendet et aves cantant!« Deinde abies omnia narravit quae iuvenis erat experta. Musculi autem cum prius talia numquam audivissent, auribus arrectis dixerunt: »Babae! Quot et quantas res tu vidisti! Quam felix tu fuisti!«

»Egon?« abies dixit et de rebus quas narraverat deliberavit. »Ah, bene. Rectê dicitis. Generaliter illa tempora fuerunt iucunda.« At deinde abies narravit de vespere natalicio, quo ornata erat crustulis candelisque. Tum musculi dixerunt: »Oh! Quam felix tu fuisti, tu abies vetula!« Sed arbor: »Nequaquam« inquit, »sum vetula! Hac demum hieme e silvâ vênî! Aetate sum maximê iuvenili, sed rapidê crevi.« Musculi autem: »Quam pulchrê tu narras!«, et proximâ nocte iidem venerunt cum aliis musculis quattuor, qui arborem audirent, et quo plura arbor narrabat, eo melius omnia recordata cogitavit: ,Eia vero illa tempora fuerunt iucunda! At eadem possunt repeti, possunt repeti! Clumpeus-Dumpeus quamquam per scalas deciderat, tamen accepit principissam; fortasse ego quoque accipiam principissam.« Deinde abies recordata est illam parvam betullam nitidam, quae foris in silvâ crescebat; illa abieti videbatur vera principissa formosa. Tum musculi interrogaverunt: »Quis est Clumpeus-Dumpeus?« Deinde abies narravit totam fabellam, cuius recordata est omne verbum singulum; hac auditâ musculi gaudio elati prosiluerunt usque ad summam arborem. Nocte sequente etiam plures mures venerunt et die Dominico etiam duo ratti, sed isti opinati sunt hanc fabellam non esse bellam, et hîc audito musculi sunt contristati, nam nunc ii ipsi fabellam minus bonam esse putaverunt.

Tum ratti quaesiverunt: »Nullamne fabellam novisti nisi istam?« Arbor autem respondit: »Nullam novi praeter eam; quam audivi vespere meo omnium felicissimo, sed illo tempore non cogitavi, quam felix essem«. »Heus ista fabella est perquam flebilis! Nullamne novisti quae spectat ad lardum et sebaceum? Nullamne fabellam cellae penariae?«

»Nullam!« arbor dixit. »Ergo gratias tibi agimus! ratti responderunt ad suos redituri. Postremo cum muscoli etiam abessent, arbor gemens: »Ah quam bellulum fuit spectare musculos illos agiles circa me sedentes narratiunculas meas auscultantes! Nunc etiam illud est transactum! Sed libenter illos recordabor foras resumpta«.

At quando hoc factum est? Reverâ factum est aliquo mâne, quo homines in granarium venerunt ibique operati sunt; cistae sepositae sunt, arbor protracta; quam satis durê in pavementum deiecerunt, sed famulus aliqui eandem statim ad scalas traxit, ubi dies illuxit. Tum arbor cogitavit: »Nunc vita denuo incohatur!« Eadem sensit aërem recentem, radios solis primos, et nunc fuit foris in aulâ. Omnia tam celeriter facta sunt, ut arbor prorsus oblivisceretur se ipsam considerare, nam circumcirca tot res aspici poterant. Aula enim sita erat iuxta hortum, in quo omnia florebant; rosae recentes atque fragrantés dependebant super crates parvas, tiliae florebant, hirundines circumvolantes dicebant: »*Quirrevit*, advênit maritus meus!« At eaedem non locutae sunt de abiete. Eadem autem iubilans: »Nunc vivam!« ramos suos latê expandit; at eheu! iidem omnes fuerunt vieti atque luridi; et abies iacebat inter urticas herbasque malas. Stella illa chartâ aureâ confecta apici adhuc imposita fulgebat sole lucido. In aulâ nonnulli ludebant illorum parvulorum, qui tempore natalicio arborem circumsaltantes de eâ tam vehementer gavisi erant. Unus e minimis accurrit et stellam auream abripuit.

Qui parvulus: »En aspice« inquit »quid adhuc insit isti vetulae abieti foedissimae!« et ramos tam vehementer calcavit, ut sub caligis suis crepitarent.





Arbor autem aspexit omnes illos flores horti pulcherrimos atque recentissimos et se ipsam aspiciens exoptavit, ut remansisset in angulo suo obscuro in granario sito; recordata est recentem iuventutem suam silvestrem et vesperum illum natalicium et musculos illos, qui tam hilariter audiverant fabellam Clumpei-Dumpei.

»Illa acta sunt, acta sunt!« dixit arbor misera. »Utinam gavisam essem, cum gaudere possem! Actumst, actumst!« Tum famulus venit arboremque discidit in partes parvas, iam tota strues deposita est; lucida iam flamma flagravit sub magnâ cortinâ braciatoriâ. Arbor autem altê gemebat et omnis gemitus similis erat parvo crepitui sclopetario; itaque parvuli ibi ludentes accurrerunt, ante ignem consedere, inspexêre, vocavere: »Piff!Paff!« Sed arbor quandocumque êdebat crepitum, cogitabat de aestivo vespere silvestri aut de hiemali nocte, quam sub dio degerat stellis fulgentibus; cogitabat de vespere natalicio deque Clumpeo-Dumpeo, id est de unicâ fabellâ, quam audiverat et narrare scivit – et deinde arbor erat combusta.

Pueri in horto ludebant, eorumque minimus stellam auream gerebat pectori affixam, quam arbor gesserat vespere suo felicissimo. Nunc ille vesper erat transactus, et actum erat de arbore necnon de fabellâ; actum erat, actum erat. Et sic fit de fabellis omnibus !



**CHRISTIANI ANDERSEN**  
**DANI NARRATORIS INGENIOSI**  
**FABELLAM QUAE INSCRIBITUR**

*De abiete*

*(danicê: Grantræet, theodiscê: Der Tannenbaum)*

**E THEODISCO**  
**IN LATINUM CONVERTIT**  
**LEO LATINUS**

# NATALICIA ARBOR POLYGLOTTA

+

++

"X"

"XXX"

"XXXXX"

"GOD JUL"

"BUON ANNO"

"FELIZ NATAL"

"JOYEUX NOEL"

"VESELE VANOCE"

"MELE KALIKIMAKA"

"NODLAG SONA DHUIT"

"BLWYDDYN NEWYDD DDA"

☺"BOAS FESTAS"☺

"FELIZ NAVIDAD"

"MERRY CHRISTMAS"

"KALA CHRISTOUGENA"

"VROLIJK KERSTFEEST"

"FRÖHLICHE WEIHNACHTEN"

"BUON NATALE-GODT NYTAR"

"HUAN YING SHENG TAN CHIEH"

"WESOLYCH SWIAT-SRETAN BOZIC"

"MOADIM LESIMHA-LINKSMU KALEDU"

☺"HAUSKAA JOULUA-AID SAID MOUBARK"☺

"US ANUNCIO UNA GRAN ALEGRIA: "

"US HA NASCUT UN SALVADOR, QUE É CRIST,"

"LE SENYOR - OS TRAIGO UNA BUENA NOTICIA:"

"OS HA NACIDO UN SALVADOR EL MESIAS EL SENOR"

"VOICI QUE JE VIENS VOUS ANNONCER UNE BONNE"

"NOUVELLE: AUJORD'HUI VOUS EST NÉ UN SAUVEUR"

"IL EST LE MESSIE LE SEIGNEUR - ECCO VI ANNUNZIOUNA"

"GRANDE GIOIA: OGGI VI È NATO UN SALVATORE CHE È IL CRISTO"

"SIGNORE - BRING YOU NEWS OF GREAT JOY: TODAY A SAVIOUR"

"HAS BEEN BORN, HE IS CHRIST THE LORD - HEDEN IS U EEN REDDER"

"GEBOREN, CHRISTUS DE HEER, IN DE STAD VAN DAVID EIS QUE EU VOS"

"ANUNCIO UMA GRANDE ALEGRIA, QUE SERA PARA TODO O POVO: NASCEU"

"VOS HOJE UM SALVADOR, QUE É O CRISTO SENHOR, NA CIDADE DE DAVI  
"

"SEHT ICH BRINGE EUCH EINE GROSSE FREUDE DIE ALLEM VOLK ZUTEIL  
WERDEN"

"SOLL: HEUTE IST EUCH IN DER STADT DAVIDS CHRISTUS GEBOREN, DER  
HERR!"

"ECCE EVANGELIZO VOBIS GAUDIUM MAGNUM, QUOD ERIT OMNI POPULO.  
QUIA"

"NATUS EST VOBIS HODIE SALVATOR CHRISTUS DOMINUS. IN CIVITATE  
DAVID."

☺"\*\*\*\*\*N PRETTIG KERSTMIS\*\*\*\*\*"☺

"ONNZLLISTA UUTTA VUOTTA"

«Joyeux Noël, Bonne et Heureuse Année 2020»

"Merry Christmas, Happy New Year 2020"

"Z ROZHDESTYOM KHRYSTOVYM"

"NADOLIG LLAWEN-GOTT NYTTSAR"

"FELIC NADAL - GOJAN KRISTNASKON"

"S NOVYM GODOM-FELIZ ANO NUEVO"

"GLEDILEG JOL-NOELINIZ KUTLU OLSUM"

"EEN GELUKKIG NIEUWJAAR - SRETAN BOSIC"

"KRIHSTLINDJA GEZUAR-KALA CHRISTOUGENA"

"SELAMAT HARI NATAL - LAHNINGU NAJU METU"

2020"SARBATORI FERICITE-BUON ANNO"2020

"ZORIONEKO GABON-HRISTOS SE RODI"

"BOLDOG KARACSONNY-VESELE VIANOCE "

"MERRY CHRISTMAS AND HAPPY NEW YEAR"

"ROOMSAID JOULU PUHI -KUNG HO SHENG TEN"

"FELICES PASUAS - EIN GLÜCKLICHES NEUES JAHR"

"PRIECIGUS ZIEMAN SVETKUS SARBATORI VESLLE"

"BONNE ANNEE -BLWYDDYN NEWYDD DDADR FELIZ NATAL"

.....

**Vosso – sincerly – vester amicissimus**

**Herbert Douteil, CSSp.**

## ECCE LIBRI LEONIS LATINI

*Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.*

*Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:*

- 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat)..... 49,00 €
- 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum)..... 42,00 €
- 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser)..... 45,00 €
- 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... 25,00 €
- 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne)..... 22,00 €

*PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».*

*GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.*

*Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.*

*Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.*

*Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EIS AEI.*



## INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mandata-telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANSLATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI-TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	<b>FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA</b>	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	<b>FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibiles</b>	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	<b>TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM</b>	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	<b>ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE</b>	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	<b>ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibiles</b>	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	<b>MEMENTO MORI</b>	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	0040 A	978-3-938905-17-3	<b>MEMENTO MORI – Libri audibiles</b>	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	<b>DE CRAMBAMBULO</b>	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	<b>DE DINOSAURIS</b>	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	<b>SUDATORIUM VENERIS</b>	Diogenes Anaedous	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	<b>PERICULUM FRANCISCI</b>	Diogenes Anaedous	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	<b>NUPTIAE ABDERITANAE</b>	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	<b>TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN</b>	Henricus van den Lande de Raelt	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

14	01104	978-3-938905-10-4	<b>DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO</b>	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	<b>FABELLAE GRIMMIANAE 1</b>	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	<b>ROMULUS MAGNUS</b>	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	<b>DE THILO CUSTODE FERRIVIAE</b>	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	<b>HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)</b>	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	<b>WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT</b>	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	0050	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – <b>Libri audibiles</b>	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	0060	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – <b>Libri audibiles</b>	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	0070	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – <b>Libri audibiles</b>	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	<b>AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE</b>	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	<b>DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIIUM</b>	Karl Friedrich Kilmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – <b>Libri audibiles</b>	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	0040	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – <b>Libri audibiles</b>	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – <b>Libri audibiles</b>	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90

28	00107 A	978-3- 938905-27- 2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207 A	978-3- 938905-28- 9	OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90
30	00307	978-3- 938905-29- 6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD- ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,  
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**



**Carae Lectrices, cari Lectores,  
in Natale Domini**



**optima quaeque Vobis exopto !**

**DIE LUNAE, 23. M. DEC. A.MMIXX**

**Nicolaus Groß**



**LEO LATINUS**

**HANC EPISTULAM LEONINAM  
DUCENTESIMAM SEXTAM  
SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**



**Die Lunae, 23. m.Dec. a.2019**

**Nicolaus Groß**  
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae

